



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 50. Quid dicendum sit de illo, qui partim bonâ partim malâ fide possedit rem alienam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

Q. 50. Quid dicendum sit de illo, qui partim bonâ 239  
 partim malâ fide possedit rem alienam. R. Seqq. §. 1.  
 Si bonâ fide cœpit, sed postea malâ fide superveniente consumpsit, tenetur ex re accepta restituere pro tempore bonæ fidei, sed à tempore malæ fidei tenetur etiam ex injusta acceptione ad omnia damna, uti hæctenus dictum est, docentq; omnes communiter cum Lugo d. 17. n. 68., & habetur in Jure canonico Cap. *Virgo*. 34. q. 2. & item in jure civili L. 23. ff. De acq. rer. dominio. Ratio est, quia in ordine ad mores perinde est, sive accipias sive retineas injustè, cum utrobique idem jus alienum violes & simile damnum causes, si postmodum consumas. *Nec obstat*, L. 25. ff. De usuris, ubi dicitur eum, qui cognovit fundum esse alienum, adhuc facere fructus suos, donec evincatur fundus, nam hoc dato, non sequitur non esse obligationem restituendi, hoc enim dominium, quod acquirit, est tale, quale acquirit fur miscens cum suis pecunias alienas, quas tamen tenetur restituere.

§. 2. Si prius malâ fide possedit & consumpsit 240  
 partem, sed postea cum titulo apparenter justo bonâ fide consumat reliquum, si re ipsa Jus non habuit, idque postmodum resciat, tenetur ex injusta acceptione pro tempore malæ fidei; nec juvat illum bona fides post consumptionem superveniens: è contrâ tenetur ex re accepta tantum à tempore bonæ fidei, nam mala fides præcedens non fuit causa posterioris damni, quia fuerat purgata per bonam fidem supervenientem, unde in ordine ad sequens tempus erat moraliter, ac si non præcessisset mala fides.

241 §. 3. Si prius possedisti malâ fide , sed nihil consumpsisti , nisi postquam supervenerat bona fides , non teneris restituere , nisi ex re accepta , quantum factus es ditior , ob rationem jam datam ; quod *Lugo* confirmat hoc exemplo , nam si post tempus malæ fidei voluisses domino reddere rem suam , qui tamen dixisset , ut retineres , donec reposceret , si res hoc postremo tempore absque tua culpa periisset , causa hujus damni non esset tua prior injuria , sed hæc justa retentio , ergo idem est in nostro casu.

242 Q. 51. Qualis sit obligatio restituendi res per parva furta sublatas. R. §. 1. Rem quantumcumque levem ablatam teneris sub veniali restituere ; hinc si nulla causa rationabilis te excuset , non potes ab eo peccato absolvi , nisi restituas , secundum illud *S. August.* Non dimittitur peccatum , nisi restituatur ablatum , ita omnes & speciatim citati n. 191. cum *Tamb.* l. 8. t. 3. c. 2. §. 5. n. 2. Ratio est , quia talis nolens restituere vult continuare illud leve furtum , volens autem continuare , de illo non dolet , ergo nec potest ab eo absolvi : potest tamen facile esse justa causa excusans à restitutione , & sæpe potest præsumi consensus domini. Notat autem rectè *Less.* l. 2. c. 12. n. 50. semper expedire , ut *Confessarius* , etiam pro pœnitentia , injungat restitutionem rei illius levis ablatæ , aut ut tantundem det pauperibus , ne ex suo peccato reportet commodum , utque magis absterreatur , alioquin homines fiunt ad hujusmodi furtula faciliores & ad majora gradum faciunt : an autem restitutio rei levis possit præcipi sub excommunicatione , videri potest *Dicast.* de Restit. d. 9. à n. 34.